



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Perfectionem donum Dei esse, non tamen nostram cooperationem
excludere. Cap. j.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

PARS PRIMA

HVIVS LIBRI DE PERFECTIONIS desiderio, & septem excitatoriis eius.

*Perfectionem donum Dei esse, non tamen
nostram cooperationem excludere.*

C A P. I.

Perfectionis gemma gratissima, cuius substantiam, & dignitatem in superioribus, exposuimus, nec ex natura nobis obuenit, nec ex necessitate accedit, nec ex debito contingit, sed donum Dei est, & quidem amplissimum, quod Deus diues in misericordia hominibus larga manu concedit. Natura quidem perfectionem naturalem parit, qua res aliqua, ut verbi gratia, caelum, aut margaritum, proprietatibus sibi debitis pulchra perfecta que consistit: at perfectionem supernaturalem (de qua nunc loquimur) quae in gratia, & charitate sita est, & nos veros Dei filios, & charissimos amicos efficit, nulla ratione progignit. Naturalia enim (ut indicauit Basilius, & ipsa ratio, & experientia docet) aut in seipsis aut veluti in semine nobiscum ex utero matris prodeunt, imò ex ipsa conceptione nostra, qua sumus aliquid, nobis obueniunt. Nam oculis praediti, & manibus, & pedibus, & reliquis membris compacti nascimur, & rationis compotes, atque apti ad ridendum, & flendum, & loquendum sinu matris nos nutriens, & educantis excipimur. Non tamen tunc lux ista recens natos, aut Deo gratos, aut charitate perfectos aspicit, sed potius originali macula infectos, & vitiorum seminibus, scilicet affectibus, cumulos, quibus ad terrena dilabimur, manifestè cognoscit. Eramus enim, ut inquit Paulus; natura, id est naturali procliuitate filij irae:] quòd si filij irae, ergo & filij vindictae: non igitur à natura nobis prouenit gratia, & multò minùs gratia perfectio, quae nos filios misericordiae facit, & ab omni ira & vindicta liberat. Non etiam aliqua necessitate (ut factorum assertores delirant) ad perfectionem capessendam impellimur: quoniam hoc opus liberae voluntatis est, voluntatis, inquam, Dei, quae nos misericorditer vocat, & à limo peccati, in quo infixi eramus, extrahit, & in arcem puritatis inuehit; & voluntatis nostrae, quae nequaquam Deo vocanti & inuitanti resistit. Fidelis Deus, ait Paulus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri,] Non fortuna vos impulit ad Societatem Christi, qua omnis sanctitas, omnisque perfectio fidelium signata est, non fatum vos traxit, non vis astrorum adiegit, sed voluntas Dei amantis vos, & liberaliter diligentis, quae nullam vim libero arbitrio intulit, ad Iesu Christi societatem, (quam omnes iusti profitentur) & ad perfectionem euocauit. Quam necessitatis exclusionem hoc loco animaduertit Chrysostomus, & non solum animaduertit, sed & optima ratione stabilis. Non, inquit, vim infert Deus, neque cogit. Et quisnam ad praemia, coronas, conuiuia, festos dies, nolentes atque inuitos trahat? Nemo, inquam. Iniurius namque esset. In gehennam inuitos mittit Deus: in regnum sponte properantes aduocat. In ignem ligatos eicit, & gemebundos: non autem in perpetua bona iti-

A dem. Nam hoc, & ipsa bona iniuria afficeret, nisi eiusmodi essent natura, ut volentibus, & his, qui plurimam se gratiam habituros sciant, sese offerant.] Hac itaque mutatio, qua ex homine carnali fit spiritualis, & ex peccatore iustus, & sanctus, non necessitatis est sed dextera excelsi. Ipse excelsus est (nam & in hoc celsitudinem suae pietatis commendat) qui commutat cogitationes & desideria terrestria in cogitationes, & desideria caelestia: qui conuertit lutum in aurum, saeum in sericum, & ex vilissimo peccatore hominem iustum & planè sanctum, ac perfectum educit. Nec etiam perfectio homini debita est, dicente Paulo, quis prior dedit illi, id est Deo, & retribuatur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula.] Nemo profecto donauit prior aliquid Deo, nullus instrumentum publicum habet aduersus eum, ut bonum aliquod tamquam ex debito petat, & non in eo, quod sibi datum est, donum, & mercedem accipiat. Si enim Deus homini debitum daret, utique daret illi non gratiam, sed poenam, non regnum, sed exilium, non sui possessionem, sed daemoneum aspectum horribilem, quem graui & enormia ipsius peccata meruerant. Si rex perduelli, & laesa maiestatis reo clementer ignoscat, an erit debitum? Non. Et quomodo erit debitum, si Deus peccatori ingentia delicta condonet, & in suam gratiam & familiaritatem admitat? Si diues suis opibus, magnis laboribus partis captiuum redimat, eritne debitum? Nequaquam. Et quo pacto erit debitum, si Dominus non auro & argento sed sanguine pretioso filij sui homines rerum terrenarum nexibus vinctos, à misera captiuitate dissoluat? Si Dominus Paulum spirantem minarum, & caedis in discipulos Christi, luce circundet, & ab aequo, cui insidebat, deturbet, ac terribili voce deterreat, nec non & ex crudelissimo lupo agnum mansuetissimum, & ex persecutore praedicatorum faciat, estne debitum? Nullo modo. Quae ergo ratione erit debitum, si idem Dominus hominem aduersus honestatem bella gerentem sapientiae luce perfundat, à superbo corde deiciat, afflatu suae inspirationis edoceat, & ex haedo in agnum conuertat? Iustitia igitur non est homini debita, non vi necessitatis inducta, non à natura profecta: quare nec perfectio, aut sanctitas haec eadem sui initia cognoscat, siquidem ipsamet iustitia hominis est, quae eum iustum reddit, non quidem imperfectionibus inuoluta, sed debita fortitudine roborata.

B Si ergo perfectio nec naturalis est homini, nec necessaria, nec debita, erit sine dubio benignitate Dei, & misericordia donata. Atque ideo optime vocatur donum Dei, quod ipse Dominus non in omnes iustos, & in vocatos ad sanctitatem vocatione efficacis, & in magnos amicos effudit. De quo intelligitur illud Pauli: Deus, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, (cuius gratia estis saluari) & confedere fecit in caelestibus in Christo Iesu: ut ostenderet in saeculis superuenientibus abundantes diuitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Iesu. Gratia enim estis saluari per fidem, & hoc non ex vobis: Dei

Basilius, reg.
2. Rufinus
disj.

Ephes. 2.

1. Cor. 1.

Chrysostomus.
2. in 1. ad
Corinthios.

Rom. 11.

Aff. 9.

Ephes. 2.

enim donū est, nō ex operibus, vt ne quis gloriatur.]
 Intelligitur sanē de perfectionis dono hoc dictum
 Apostoli: quoniam si omni iustitiā conuenit, qua iu-
 sti sumus apud Deum, quanto melius & excellentius
 in perfectam iustitiā & absolutam sanctitatē qua-
 drabit? Ad hanc in nos conferendam oportet, vt Deus
 sit diues in misericordia, nimirum vt sit maximē mi-
 sericors, quia non iam solam miseriam lethalis pec-
 cati, & æterna mortis à nobis aufert, sed minimas
 quoque miseras multorum leuium peccatorum, &
 innumerabilium imperfectionū ipse depellit. In hac
 iustitia perfecta, nimis, id est, eximia charitas nostri
 conditoris elucet, qua non tantum nos peccatis eri-
 pit, & amicos suos facit, sed vt filios charissimos vin-
 culis sibi ineffabilis charitatis, & vnione admittenda
 puritatis alstringit. Hæc nos in Christo viuificat, & sus-
 citat, & ad consensum eiusdem admittit, ita vt vitam
 similem vitæ Christi viuamus, & ab omni etiā igna-
 tia & foecordia suscitemur, & sedem gloriosam, quæ
 in cælo nobis parata est, apud ipsum mereamur. Do-
 no istius gratiæ perfectæ ostendit Dominus in sacu-
 lis superuenientibus ab ascensione sua vsque in æter-
 num, quantæ sint diuitiæ suæ, quas in viros sanctos
 benignè profudit, verè enim sancti sunt quædam specu-
 la, in quibus inspicimus inuestigabiles diuitias Dei,
 quia superabundantissima gratia illos cumulat, & di-
 rissimis donis exornat, adeo vt omnia bona spiritua-
 lia habeat, & miseriam, aut defectum diuinæ lucis, &
 pinguedinis spiritualis non sentiant. O quā magnum
 donū sancta perfectio, quod Iacobus Apostolus do-
 num perfectum appellat. Omne datum optimum, in-
 quit, & omne donum perfectum desursum est.]
 Datum optimum alicuius minoris doni cōparatione opti-
 mum dicitur. Est ergo datum bonum omne tem-
 porale, vt Thomas exponit, quod nobis in vsum huius
 vitæ conceditur, & datum melius omne corporale,
 quo corpus nostrum vndeque perficitur: da-
 tum optimum omne gratuitum, quo mēs nostra Deo
 acceptior, & amabilior redditur: donum autem per-
 fectū est melius optimo, quod dona bona, & melio-
 ra, & optima perficit: & totum hominē cumulo per-
 fectarum virtutum absoluit. O quā magnum donū,
 quod Paulus donū cæleste vocat, & tantā verborum
 maiestate significat. Impossibile est, inquit, eos, qui se-
 mel sunt illuminati, gustauerunt etiam donū cæleste,
 & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerūt ni-
 hilominus bonum Dei verbum, virtutēq; sæculi vē-
 turi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiā.]
 His quidem verbis sanctus Apostolus sine aliarum
 interpretationum præiudicio, viros sanctos, eorumq;
 perfectionē describit. Hi enim semel baptismo illu-
 minati, quo peccatorum tenebræ destruantur, gustant
 donum cæleste, nempe abundantissimam gratiam,
 qua saginantur, & vitam quamdam cælitibus cognatam
 instituunt. Donum autē istud ingentis & super-
 abundantis gratiæ, alia dona insigniora in animam
 perfectam inuehit, qualiā sunt dona Spiritus sancti,
 non tantum quoad habitum, sed etiam secundū in-
 signes actus intellectum illuminantes, & voluntatem
 roborantes, ac perficientes accepta: gustum etiā boni
 Dei verbi, quo sibi multæ misericordiæ in hac vita, &
 in futura ingentia præmia promittuntur: gustum deniq;
 virtutum sæculi venturi, nam interdum, vt cre-
 scant, & veriū terrenā contempnant, non nihil cæles-
 tium deliciarum cordis palato delibant. Qui huius-
 modi sunt, si post tanta dona suscepta, inueniatur in-
 grati, & pristina delicta resumant, impossibile est, id
 est, valde difficile, vt pœnitentiā renouent. Solet
 enim cōtingere, vt qui erant aliis meliores, semel lap-
 si, fiant proteruiore, & duriores, adeo vt præ duritia,

Iacob 1.

D. Tho.
in epist. 1.
Iaco. c. 1.
leā. 1.

Hebr. 6.

A & superbia sua non facile illis sit ad perditam gratiā,
 & Dei familiaritatem remeare. Nā quemadmodum
 si vnuerfus populus aduersus regem rebellet, popu-
 laribus quidem facile venia conceditur, filio autē re-
 gis, si fortè defectionis causa extitit, difficillimè in-
 dulgentia prærogatur: (cuius historia Absalonis ad-
 uersus patrem rebellantis erit exemplo) ita si infir-
 mus cadat, si miser, & imbecillus homo crimen ad-
 mitrat, facile suum casum agnoscit, sine difficultate
 plorat, & misericordiam diuinam impetrat; at si vir
 perfectus cadat, & dona sibi data prostrat, & fron-
 tem meretricis induat, satis difficulter amissam gra-
 tiā recuperat: cuius certè casus, vnus cum sit, ingētes
 Dei thesauros dilapidat, virtutem & sanctitatem im-
 famat, & pusillos vehementer scandalizat. Magnum
 est donum, quod ita perfectos Deo beneficiis tenet
 obstrictos, vt si cadant, tamquam homines ingratissi-
 mi difficiliter indulgentiam accipiant.

B Illud etiam ad commendandam huius doni ma-
 gnitudinem facit, quod omnia alia Dei dona secum
 inuoluit, & vnuerfa diuina beneficia habet adiuncta.
 Si enim donum Dei fuit iustū Noë à diluio, & aqua-
 rum tempestate liberare; ecce melius donū hic, quo
 homo à curis sæculi liberatur & à sæuo turbine pec-
 catorum eripitur. Si donum Dei fuit Abraham de
 terra sua, & cognatione sua, ac de domo patris edu-
 cere, ac in terram illi promissam inferre; ecce maius
 donum hic, quo vir iustus à conuersatione terrena, &
 à confortio iniquorum abripitur, & ab imitatione
 veteris Adæ ad imitationem noui transfertur. Si do-
 num Dei fuit, patriarcham Loth è tremendo supplicio
 Sodomorum eximere: Ecce præstantius donum
 hic, quo homo ad perfectionem vocatus, nec clamoribus
 importunis suæ carnis turbatur, nec edacis
 concupiscentiæ igne comburitur. Si donum Dei fuit
 è ventre ceti Ionam extrahere, vt combinationes
 diuinas Niniuitis annunciatet; ecce mirabilius do-
 num hic, quo homo non femel, sed millicies à ven-
 tre Leuiathan deuorantis & tentantis extrahitur, &
 vt quæcumque vult, reddat pro salute Domino, ab
 eo, qui penè ipsum deglutierat, statim euomitur.
 Donum Dei fuit primum humani generis parentem
 in loco voluptatis collocare, & fructu arboris vitæ
 rescire; sed quantò præstabilius Dei donum per-
 fectio, qua homo in Deo manet, & Deus in eo, qua
 pane cælesti nutritur, & aqua sapientiæ potatur, &
 ad cibum, & potum immortalem & proprium An-
 gelorum disponitur. Quis non fateatur perfectio-
 nem magnum esse Dei donum, quod hæc omnia do-
 na secum afferat, quod corporis voluptatem, & sacu-
 li vanitatem rereget: quod proprii cordis duritiam,
 & argumenta carnalis sapientiæ, quibus peccata nos-
 tra velamus, potenter abiciat? Christo enim visi-
 tante nos, & intrante (vt inquit Bernardus) castel-
 lum iniquitatis eueritur, & pro eo nouum aliud pul-
 chrum, ac spirituale construitur: impleturque quod
 dicitur: Si qua in Christo noua creatura, vetera tran-
 sierunt, & ecce facta sunt omnia noua.] Sublata
 quippe cupiditate expanditur ingens sinus desiderij,
 vt ad eius aduentum multo magis anhelat mens ad
 cælestia, quàm prius terrenis incuberat. Iam pon-
 nitur murus continentiæ, qui corporis voluptatem
 eneruet, & antemurale patientiæ, quod
 sæculi vanitati obstat. Surgit autem hoc opus à fun-
 damento fidei, & crescit per dilectionem proximi,
 quæ duritiam cordis, & falsæ sapientiæ argumenta
 discicit vsque ad charitatem Dei. Planè hoc amplif-
 simum donum omnia Dei dona continet. Si enim
 Apostoli infidelitati restiterunt, & fidem per vni-
 uersum orbem disseminarunt, hoc perfectio est: quia

2. Reg. 15.

Genes. 7.

Genes. 12.

Genes. 19.

Iosua. 2.

Genes. 2.

Bern. ser.
5. de As-
sumpt.
2. Cor. 5.

abundantia diuinæ charitatis eas ad expugnandum diabolum, & querendas animas roborauit. Simartyres vitam omnium rerum temporalium charissimam, acerbissimis tormentis exhaustam, pro Christo perdidit, hoc perfectio est: quia perfecta charitas omnem creaturarum amorem superans, eos ad mortem sustinendam, & vitam profundendam, exposuit. Si Pontifices pijs sollicitudinibus occupati, oues Christi rexerunt, & seipsos seruos aliorum fecerunt, hoc perfectio est: nam ardentissimus Christi amor illos necessitatibus proximorum subiecit, & ad contemptum propriorum commodorum impulit. Si doctores, & soles splendidissimi, paruulis illuxerunt, & pro tuenda veritate vigilas & labores maximos sustentarunt, hoc perfectio est: nam feruens Christi dilectio eorum mentes exacuit, & affectus accendit, vt tam sublimia dicerent, & verbis tam sanctis & tam aptis ad mouendum, exponerent. Si confessores sui ipsorum iuge holocaustum Domino obtulerunt, dum corpora sua ieiunijs, vigilijs, & alijs asperitatibus domauerunt, & animam perpetua orationi, & contemplationi dicant, hoc perfectio est, quæ illis Dei amorem suis corporibus, & animabus chariorem reddidit, & quod in eis humanum erat, Dei cultui, & venerationi subdidit. Si denique virgines carnis ferocis imperum contempserunt, & in mortali corpore Angelorum puritatem sunt imitata, hoc perfectio est, quoniam fortis vt mors dilectio, violentissimam concupiscentiam sopiuit, & carnem ab impuris motibus emundauit, vt spiritus ac si esset carne solutus, in Dei se contemplationem & amorem immergeret. Est itaque perfectio Dei donum, & donum exitium, quo, post statum beatitudinis nullum maius inuenitur, à cuius gremio hæc omnia dona sanctorum emanant. De eo quod inquit Paulus Non sicut delictum, ita & donum. Nam delictum primi hominis peccatum originale in mundum intulit, gratia verò Christi ad minus peccatum originis, & peccata etiam grauius destruxit, & perfecta gratia, non solum hæc sed prauas consuetudines & vitia deleuit.

Sed si perfectio donum Dei est, expectemus illam à Domino, & donec eam donauerit, patienter feramus. Expectemus quidem, & si non statim eam in nos miserit, patientes simus, ac non incuriosi, non segnes, non nostræ salutis oblit, sed ad gemmam hanc pretiosam accipiendam cooperemur. Ad quod nos monet Dauid, dicens: Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine dominum. Ita expecta, vt tamen non otio torpeas, sed secundum vires tibi à Domino datas, fortiter agas: ita sustine, vt tamen cor tuum non vanis curis dissolutum languescat, sed adipiscendæ perfectionis sollicitudine confortatum, ad eam violentè arripiendam se exerat. Ita profectò expectandum est, quoniam Dominus non dormientibus, nec oscitantibus hanc pulcherrimam margaritam perfectionis donat, sed vigilantibus, & pro ea contra se ipsos, & aduersus omnia vitia decertantibus, benignè communicat: ita sustinendum, quoniam nostrum laborem ex gratia sua procedentem, & nostram cooperationem, ad sanctitatem impatientiam requirit. Nam, vt ait Leo Papa; quamuis omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum querit industria. Non enim dormientibus prouenit regnum cælorum, sed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus: vt si dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit, mereamur accipere, quod promissit. Dominus quidem Salomoni sapientiam dare decreuerat, sed quouisque

A posceret Salomon, Dominus expectauit. Quin & ex-citauit illum ad postulandum, dicens: Postula quod vis; vt dem tibi: Sic & nos petere debemus, & orationibus, gemitibus, ac bonis operibus postulare, vt secundum desiderium cordis nostri detur nobis optata perfectio. Arripiamus igitur verba ex ore huius sapientis, & flexis poplitibus cordis nostri dicamus ad Dominum: Et nos, Domine, sumus pueri paruuli ignorantés egressum, & introitum nostrum. Dabis ergo seruis tuis cor docile, vt populum tuum iudicare possint, & discernere inter bonum & malum. Verè paruuli sumus, qui more paruulorum visibilia diligimus, & inuisibilia nec curamus, nec cupimus. Verè egressum, & introitum nostrum ignoramus, quia nescimus, quomodo oporteat nos inter homines conuersari. Data itaque nobis cor tibi per omnia subiectum, vt te docere, & iuuante, sciamus populū hunc interiore multorum affectuum nostrorum regere, & bonum amplecti, ac malum refutare. Oremus ita, vt lingua interior nostra non si-leat, sed nec manus nostra ab operatione quiescat, & placebit sermo noster coram Domino, & dabit nobis cor sapiens; & puritatem, quam cupiebamus, impertiet. Vt autē sciamus perfectionem ita esse donum Dei, vt ei consequendo debeamus diuina gratia iuuante cooperari, diuersos loquendi modos in hac re sacra scriptura frequenter usurpat, vt hoc iustitia, ac perfectionis opus, & Dei esse, & nostræ etiam industriae Dei gratia fulcitur nobis aperiat. Ait enim: Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Et: Si volueritis, & audieritis me, bona terra comedetis. Iterum verò. Deus est qui operatur in vobis velle, & perficere. Et, Reddet unicuique secundum opera sua. Et rursus: Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Et, Appropinquate Deo, & ipse appropinquabit vobis. Præterea: Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Et, Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur. Deinde: Laua à malitia cor tuum Ierusalem, vt salua fias. Et, Cor mundum crea in me Deus, & asperges me Domine hyssopo & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. Ac tandem: Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum. Et, Facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Hæc omnia & alia similia penè innumera, quæ vitandæ prolixitatis gratia prætereo, manifestè indicant omnem virtutem, omnemque animæ perfectionem donum Dei esse, sed ita, vt laborem nostrum exigat, & industriam non excludat. Docent etiam omnem laborem & omnem industriam nostram, ad perfectionem necessariam, cassam esse, & inutilem, nisi eam gratiæ diuinæ spiritus excitauerit, & in opus prodeuntem comitatus fuerit, & stabilitate ac perseverantia compleuerit.

E Si ergo donum hoc magnum, & exitium perfectionis volumus, ei consequendo, modis omnibus, quibus possumus, cooperemur. Nam quod ridiculè in rep. humana contingit, in domo Dei non ridiculè, sed iuste succedit. Apud homines enim quoniam dignitates, & mitras, & munera honorifica consequuntur? Nonne qui diligentius ea ambiunt, qui importunius ea postulant, qui inuerecundius aulicorum aures sollicitant, & qui sua obsequia regi facta superbius exaggerant? Et hoc ridiculum est, quoniam discrimen salutis diligitur, honor propter se non querendus, experitur, & dignitas donis, & mendacijs, & ambitione comparatur. Apud Deum igitur ille veram virtutem assequitur, ille summam dignitatem perfectionis impetrat, ille mitram, & diademata regum puritatis exquirat, qui

3. Reg. 3.

3. Reg. 3.

Rom. 9.

I. Sa. 1.

Phil. 2.

Rom. 2.

Ioan. 6.

Iacob. 4.

Psal. 16.

Prou. 4.

Ierem. 4.

Psal. 50.

Ez. ec. 11.

Ez. ec. 18.

Rom. 5.

Psal. 26.

Leo ser. 2.
Epi. 6. 3.

humilius petit, vehementius operatur, ardentius efflagitat, & sanctissima opera tamquam dona quaedam pretiosa pro tanta dignitatis assequutione promittit. Hoc autem non est ridiculum, sed plenum iustitiae, & aequitatis, quoniam virtus digna est per se ipsam, quae ab omnibus expectatur; & quia viri iusti eam non pro ambitione, sed pro Dei gloria quaerunt, non salutis pericula, sed, si perseverent, salutem certissimam in domum suam inferunt, non mendacibus, & ineptis adulationibus, sed veritate vitae, & sanctissimis obsequiis assequuntur. Quae, quia non ab humana industria solium, sed praecipue à Dei gratia procedunt, ita augmentum gratiae merentur, ut illud augmentum à ratione gratiae & doni non seiangant. Quod Augustinus in Paulo, post bonum certamen coronam iustitiae poscente, manifestè conspexit, cuius bona opera, cogitationes bonae à gratia provenientes praecesserunt, cuius bonum certamen, quo strenuè decertavit, & felicem cursum, quem sanctissimis operibus consummavit, & fidem ipsam, qua in Deum fidelitatem tenuit, illi non naturae vires, sed gratiae auxilia maxima praerogant. Cooperemur itaque gratiae Dei, ut mentis nostrae sanctitatem ab eo impetrare possimus. Ad quod Paulus ipse nos hortatur, dicens: Adiuuantur exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus: Aut enim, tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiui te: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Deus namque in tempore sibi accepto exaudit nos, & in die salutis nostrae destinato gratia sua adiuuat nos. Hoc autem tempus non est profectò aliud, quam tempus vitae nostrae, quod sub Evangelica lege transigimus. Haec dies non est alia, quam dies conuersionis nostrae, & vitae spiritualis nostrae, quae si aeternitati comparatur, non longior est hesternae die, quae praeteriit. In hoc tempore Domino factis accepto, & in hac die ad operandam salutem animae nobis concessa, abundans gratia data est, cuius praesidio donum perfectionis assequamur. Ne in vacuum recipiamus eam, nec tamquam ille seruus malus, & piger, ligatam in sudario oriostratis custodiamus, sed ei fideliter & diligenter cooperemur. Reuelabitur enim ira Dei de caelo super omnem impietatem & iniustitiam hominum illorum, qui veritatem Dei intellectui reuelatam, & voluntati gratiae auxiliis oblatam, velut compeditam, & ligatam in iniustitia detinent. Ne simus velut arbores mortuae, quibus nec caeli influxus, nec aethorum aspectus, nec aquarum decursus, ad ferendum fructum aliquid profunt, sed tamquam generosae arbores saluberrimo caelo fruantes, & matutinis ac serotinis gratiae imbris irrigatae fructum salutis feramus. Ne simus sicut aqua stagni, quae semper stat, & quia motu caret, solet insalubris esse, & interdum tetrum odorem habere: sed sicut aqua fluminis, quae in mare, vnde exierat, reuertatur, & ad vniuersorum principium sanctae vitae celeritate recurrat. Denique talenta gratiae nobis data sunt, & auribus nostris illud patris familias praecipuum insonuit: Negotiamini dum venio talentis acceptis negotiemur. Sic constituemur super bona Domini, non tantum in futura vita, in qua praemium aeternum laborum recipiemus, sed in vita quoque praesenti, in qua animae perfectionem & sanctitatem consequemur. Haec vnum Dei donum est, sed multa bona continet, quia & animae pulchritudinem, & memoriae tranquillitatem, & intelligentiae lucem, & voluntatis rectitudinem comprehendit, & omnium vitium animae decorem, ac ipsius corporis continet puritatem.

Aug. lib.
de gratia
& lib. ar.
cap. 7.

1. Cor. 6.

Rom. 1.

Luca 19.

A
Assequenda perfectioni cooperandum homini esse, tum desideriis, tum operibus.

CAPVT II.



I Deus ita hominibus donum perfectionis communicat, ut non tamquam in res inanimas, & sensu carentes eam inferat, sed ipsorum hominum industriam & cooperationem exigit, quo illis hanc eximiam gloriam impertit, ut dicantur, & sint simul cum Deo, suarum opum & bonorum emptores, videndum nunc est, quibus cooperari debeant, ut ingentes opes sanctitatis & perfectionis obtineant. Duo igitur sunt, quibus homo Deo ad suam perfectionem consequendam cooperatur, desiderium, & opus: nam ardentissimis virtutibus, & perfectionis desiderijs ac sanctis operibus velut quibusdam instrumentis aptus afficitur, & ad excipiendum sanctitatis donum disponitur. Haec duo desiderium, & opus sunt duo oculi, quos homo in istud maximum suae mentis bonum intendit: quorum meminit Dauid, dicens: Sicut oculi seruatorum in manibus dominorum suorum: Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae; ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Nam desiderium, & opus nostrum talia sint oportet, ut Deum intentionis simplicitate respiciant, & de manibus eius hoc, quo sustentamur, perfectionis donum extorqueant. Sunt etiam duae manus, de quibus ait Iob: Quare lacerò carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Dentes enim meditationis, quorum est, diuina beneficia, & propria peccata ruminando continere, carnem lacerant, dum eam pro commissis delictis debita seueritate castigant. Et manus desideriorum, & operum animam portant, quia eam de virtute in virtutem vehunt, & ne in pristina delicta cadat, diligentissima cura sustentant. Sunt denique duae alae datae mulieri, quae peperit masculum, ut volaret in desertum in locum suum, vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis. Quanam est ista mulier? nonne anima perfectionis auida, quae spiritualis sapientiae luce tamquam sole vestitur, & lunam mutabilitatis proterit, & caput eius virtutibus tamquam stellis circumdatur? Et quod masculum peperit, nisi propositum proficiendi, & ad sanctitatem sine ulla cessatione properandi? In quod autem desertum secedit, nisi in secretum spiritualis vitae, ut interpretatur contemplator Ricardus, in quo tamquam in amabili solitudine ab strepitu saeculi delitescit? Duabus itaque alis desiderij & operis in hunc desertum volat, quia bene desiderando, & operando, ad optatam spiritus tranquillitatem appropriat. Ibi autem scilicet in spirituali conuersatione alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, quia in initio virtutis, & in profectu, & in perfectione eius diuina gratia rescitur. Initium virtutis est tempus, quoniam vni secessioni à malo, & poenitentiae praeteritorum inhiat. Profectus sunt tempora, quoniam multis virtutibus acquirendis intendit. Perfectio est dimidium temporis, quia perfectio nostra in hac vita semper imperfecta est, & quasi dimidiata, quae solum in futura vita omnino perficitur. His itaque duobus pedibus desideriorum, & operum nobis currédum est, quos perficit Dominus tamquam ceruorum, ut super excelsa statuat nos: his duabus ma-

Psal. 122.

Iob. 13.

Apo. 12.

Ric. li. 4.
in Apo.
c. 1.

Psal. 17.

nibus